

27

B. C. D.

DE

LEGE EVAN-
GELICA,

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM

PRÆSIDE

DOMINO

JOHANNE GVILIELMO
BAJERO

S.S. Theol. D. & P.P.

*Domino Patrono, Præceptore & studio-
rum suorum Promotore aeternum colendo*

publice ventilandam proponit

JOH. JACOBUS Müller/ Ulmensis.

d. Januarii A. cId Idc XCII. Jan. 1692

J E N Æ,

Litteris GOLLNERIANIS.



LEGE EVAN

GELICA

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM

PRÆSIDI

D. O. M. I. N. O.

JOHANNNE GUILLELMO

RAIBRO

Magistro

JOHANNNE GUILLELMO

M. D. C. C. C. C.

M. D. C. C. C. C.





In Nomine JESU!

§. I.



Elebre est, quod B. *Lutherus* noster Comment. in Cap. II. Ep. ad Gal. T. IV. Jen. Lat. fol. 40. b. scriptum reliquit: *Qui benè novit discernere Legem ab Evangelio, is gratias agat Deo, & sciat, se esse Theologum.* Nec minùs graviter majores nostri in *Formula Conc. Artic. V. P. aff. §. I. p. 592. Credimus, docemus & confitemur, discrimen Legis & Evangelii, ut clarissimum quoddam lumen singulari diligentia in Ecclesia Dei revinendum esse; ut verbum DEI, juxta admonitionem D. Pauli rectè secari queat.* Quæ etiam repetunt, & omnia, quæ novæ confusio- ni inter Legem & Evangelium occasionem præbere possent, studiosè cavenda & vitanda esse monent; in declar. Solid. ejus Artic. p. 716. 717.

§. II. Olim quidem ante motas controversias de *Justitia Legis & Justitia Evangelii; & anne Evangelium sit concio pœnitentia, arguens peccatum incredulitatis?* fatendum est, discrimen Legis & Evangelii non ad eò exactè ac distinctè fuisse traditum: ut potiùs etiam *Petrus Suavis* L. II. Hist. Conc. Trid. p. m. 171. memoraret, magnam Theologis Pontificiis in excutienda doctrina Lutheri de discrimine Legis & Evangelii difficultatem fuisse obortam, eò, quod nemo eam è *Scholasticis vel imaginando conceperat, ac proinde neque confutàrat neque excusserat.* Unde non immeritò B. P. *Piscator* scripsit: *Tantam in profunditatem imò abyssum veriùs demersa erat sub densissimis illis Papatùs tenebris orthodoxa illa maximèque necessaria doctrina: ut dum summi ferè quique in scholis templisque Theologi nìl quicquam propemodum de discrimine isto (Legis & Evangelii) cognitum perspectumque haberent*

berent, misella interim ac perterrefacta multarum myriadam conscientia sub mole debitorum suorum penitus contabescerent, & ad inferni barathrum catervatim raperentur. Disp. VI. in F. Conc. pos. II. p. 201.

§. III. Nec profectò de vocibus solùm hîc agitur, sed de gravissimis dogmatibus Christianæ fidei, quæ ad articulos de Justificatione & Renovatione pertinent (ne dicam quod ipsa doctrina de Lege & Evangelio, inter articulos fidei locum habet) quorum sinceritas, his benè aut secus traditis ac retentis, aut stat, aut cadit: ac pridem constat, quod in præcipuis locis doctrinae, quantum erratur in verbis, tantum etiam de rebus ipsis amittatur: monente ac demonstrante B. Chemnitio LL. Theol. P. II. L. de Justif. Cap. III. p. m. 246. prout & alibi sæpiùs & prolixius.

§. IV. Stante discrimine Legis & Evangelii, παράδοξον erit dicere *Legem Evangelicam*. Parum enim abest, quin auditis his vocibus conjunctis permisceri videantur, quæ discerni debent. Et quemadmodum *Evangelium legale* alienum est ab usu loquendi, quod idem propè sonat, quàm cum *συνεχόμενον* dicimus: ita non abs re mirabitur, si quis primùm inciderit in appellationem Legis Evangelicæ: quando nec apparet, cur termino Evangelii legalis repudiato, alterum Legis Evangelicæ par sit admittere.

§. V. Attamen nec desunt Legis Evangelicæ assertores, sensu, uti sectis, distincti; distinctè etiam hîc à nobis considerandi. Primi quidem mox occurrunt Pontificii, quibus nihil frequentius in ore aut scriptis esse, quàm *Legem Evangelicam, novam* scilicet illam, quam Christus *novus legislator* tulerit, jam diu observarunt Nostri. Inter antiquiores apparet, quem divum faciunt, *Thomas Aquinas*, qui Pr. Secundæ Q. CVI. *Legem Evangelicam, qua lex nova dicatur, secundùm se considerandam sibi sumit, per quatuor articulos: (1) Utrum sit scripta vel indita. (2) De virtute ejus, utrum justificet. (3) De principio ejus, utrum debuerit dari à principio mundi. (4) De termino ejus, utrum sit duratura usque ad finem? an debeat ei alia lex succedere?* quibus duas alias quæstiones subjungit; alteram videlicet *de comparatione legis novæ seu Evangelicæ ad legem veterem; & tertiam, de his, quæ in lege novæ continentur.* Intelligit autem
Thomas

Thomas per legem Evangelicam *secundario* quidem *legem scriptam* (quæ sit ipsum Evangelium, i. e. Scriptura Evangelistarum & Apostolorum extra homines existens) prout in ea traduntur illa, quæ vel ad gratiam disponunt, vel ad usum ipsum gratiæ spectant: principaliter autem ipsam gratiam Spiritus Sancti in cordibus fidelium scriptam, aut inditam, sive interiùs datam, videlicet naturæ superadditum gratiæ donum: eamque per hoc, quòd sit ipsa Spiritus Sancti gratia, docet necessario justificare hominem. Ita præceptorem suum Thomistæ sequuntur: & Gabriel Vazquez Comm. ac dispp. in I. IIæ. T. II. disp. 83. q. 107. c. 2. n. 7. disputat, legem Evangelicam propriissimè significare ipsam gratiam creatam, fidem & charitatem, quæ nos promoveat ad benè operandum.

§. VI. Bellarminus autem, *discrimen legis & Evangelii* traditurus T. IV. Controv. de Justif. L. IV. Cap. II. sub init. p. m. 299. 300. agnoscit quidem Evangelium duobus modis accipi posse, uno modo pro doctrina, quam Christus & Apostoli prædicarunt, & in libris Evangelistarum aliisque Apostolorum scriptis continetur. Alio modo pro gratia Novi Testamenti, quæ & lex scripta in corde, & Spiritus vivificans, & lex fidei dici solet: addit tamen, tanquam verum fassurus, nomen Evangelii non videri in Scripturis usquam accipi, nisi pro doctrina. Atque ita alteram illam, quæ Thomæ & Thomistis propriissima habetur, acceptionem ἀγαθόν esse, atque hominibus, qui Ecclesiæ nomen sibi arrogat, acceptam referri debere, agnoscit.

§. VII. Sed & Gregorius de Valentia Tom. II. Disp. VII. Q. VII. puncto II. p. m. 984. probat, *rationem legis in habitibus, quales sunt fides & gratia, non esse, nisi in radice*: quod idem est, ac si diceret, Legem illam novam aut Evangelicam non consistere formaliter in habitibus illis. Quod autem addit p. 985. *frequentiorem & utiliore esse considerationem divinæ legis, ut in humanis est mentibus, insculpta per fidem atque gratiam, nondum probavit.* Formalem certè significationem Legis Evangelicæ imprimis observare & tractare debebat. Et quanquam non negamus, quod asserit, *legem divinam literis conscriptam esse, neminem dubitare, eam autem & in mente divina splendere, & in homi-*

num cordibus impressam esse; fateamur etiam, legem divinam in-
mentibus hominum actu secundo se exerere, quando mens homi-
num gratia donis illustrata certissimè judicat, quid sit prepter natu-
ralem (aut supernaturalem) finem necessariò faciendum : hoc ta-
men præcipuè ostendendum incumberebat Gregorio, quod lex di-
vina (sive ut est in mente DEi, sive ut est literis, sive & inprimis ut
est in mente humana donis gratiæ illustrata,) & quò sensu, rectè
dicatur non solum Lex, sed *Lex Evangelica*. Atqui hinc nihil di-
sertè dictum apparet. Quæ autem per consequentiam huc tra-
hi possent, rem certè non tangunt, multò minùs dubia tollunt :
quod si opus esset, & instituti ratio ferret, facilè ostenderemus.

§. VIII. Tantò magis interim licebit nobis priorem il-
lam, quæ principalis dicebatur, acceptionem Legis Evangelicæ,
pro gratia regenerationis, conversionis, sanctificationis & reno-
vationis sumptæ, usurpatoribus suis relinquere, ac tantùm brevi-
ter monere, quod, licet dona gratiæ interiùs à Deo conferri a-
gnoscamus, quibus homo regeneretur, convertatur, sanctificetur
& renovetur; quando tamen justificationis vocem sensu forensi
accipere necesse est, non agnoscamus donum justitiæ inhærens,
cujus, tanquam intra nos existentis, intuitu, coram Deo & in ju-
dicio ejus tam rigidò, ubi perfecta justitia requiritur, justì pro-
nunciemur : neque adeò legem Evangelicam hòc sensu accipien-
dam admittere possimus.

§. IX. Legis Evangelicæ nomine *doctrinam* denotari,
facilius admittet usus loquendi : prout νόμον propriè loquendo
& in casu recto esse λόγον, omnes agnoscunt, & apud Ebræos
תורה præter legis aut præcepti, etiam doctrinæ atque institutio-
nis significationem habet. Fatendum autem est, νόμον εὐαγγελικόν
nusquam his apicibus, aut in terminis, legi in Scriptura. Quæri-
tur itaque de convenientia appellationis, quæ extra Scripturam,
quocunque auctore assumpta est, cum sententia ipsius Scripturæ :
seu an Legem Evangelicam dicere non repugnet, sed conforme sit
his, quæ de Lege & Evangelio Scriptum ipsa tradit ? Agnoscit ipse
Bellarminus l. c. *controverfiam præsentem de Lege Evangelica* hoc
loco esse de ea acceptione, quâ doctrina aut prædicatio significa-
tur. Becanus etiam, cum de lege nova seu Evangelica disputat,
signifi-

significationem doctrinæ retinet & persequitur. T. I. Theol. Schol. Tract. III, Cap. V. p. m. 226. seqq. *Gregorius de Valentia* eundem sensum sectatur, tandemque de differentia legis divinae veteris & novae disquirat, accipiendo haec vocabula pro tota summa veteris & novae seu Evangelicae religionis. Disp. VII. Q. VI. Punct. IV. p. 995. seqq. Attamen nusquam videas rationem denominationis satis evolvi, atque ita tradi, ut mens hominis Christiani acquiescere possit.

§. X. Ambiguus profectò est terminus *Legis Evangelicae*: quando vel eo nomine in casu recto significatur Lex propriè dicta, quæ per *παραδιδασκαλία* & *Evangelica*, ab alia Lege distinguitur, ad quam ipsa fortasse accesserit. Quâ ratione Evangelium ipsum importare complexum quendam præceptorum dicendum est. Vel denotatur Lex per Evangelium moderata aut temperata (eò modo, quò aliàs *Ἐπιείκεια*, quam *Æquitatem* vulgò dicunt, dicitur *ἐπιεικὴς ἰσχυρὰ νομῆς δικαίης*, attemperatio aut *correctio juris legitimi*;) ita ut Lex aliàs rigidior, plura aut graviora exigens; jam pauciora aut faciliora tantùm præscribat. Vel denique Lex Evangelica idem est, ac Lex per Evangelium illustrata, ita ut, quæ per Legem, non accedente Evangelio, directè & formaliter non præcipiebantur; jam tamen, ubi accedit doctrina Evangelica, præcepta, atque adeò agenda esse, cognosci possunt & cognoscuntur.

§. XI. Sanè pro diversitate acceptionis termini præsentis, de sententia ipsa atque assertionis orthodoxia vel heterodoxia judicandum erit. Plurimum enim refert, utrum Evangelium dicas ipsum quoque esse Legem aliquam propriè dictam? an Legis correctionem? an denique tantùm illustrationem Legis?

§. XII. Pontificios quidem, certum est, communi consensu nomine Legis Evangelicæ intelligere legem propriè dictam; prout *Bellarminus* l. c. statum controversiæ inter suos & Nostros declaraturus: *Adversarii*, ait, *Evangelium, id est, bonum nuncium appellari dicunt, quoniam nihil nisi consolationem annunciet. Nos verò (Pontificii) contendimus, Evangelio contineri illa omnia, quæ adversarii, soli legi tribuunt, quæ sunt præcipuè tria, Leges propriè dictæ, Comminationes, & Promissiones cum conditio-*



ne obedientiæ. Idem videas apud Greg. de Valentia & Becanum. ll. cc.

§. XIII. Ubi tamen ante omnia observandum est, quod Pontificii nomine Evangelii *prædicationem* (totam) *Christi & Apostolorum*; ut Bellarminus loquitur, aut, *totam summam novæ seu Evangelicæ Religionis*, juxta Valentianum; aut *totam doctrinam, quæ viget in Novo Testamento apud Christianos*, Becanò interprete, intelligant. Hâc ratione autem non solum statum controversiæ iterum pervertunt, & nostris falsò tribuunt sententiam alienam; Sed etiam errorem suum, quem gravissimum tenent, hõc artificio involvunt & dissimulant. Quod enim doctrina Christi & Apostolorum, si in sua latitudine accipiatur, legis propriè dictæ præcepta contineat, nunquam negarunt Nostri, nec de eo controversiam moverunt Pontificiis: Sed potius hoc ipsum apertè tradiderunt, & allatis in eam rem dictis Scripturæ N. T. demonstrarunt. Monuerunt autem simul, quod in ipsis his scriptis doctrinæque Christi & Apostolorum Lex & Evangelium distingui debeant, etiamsi interdum in uno contextu conjungantur: nimirum quòd Lex in propria & stricta suo significatione & similiter Evangelium in proprio atque stricto significato, adæquatè, atque adèdè prorsus aut immensum differant. *Legem* enim formaliter denotare doctrinam, quæ actus aliquos velut auctoritate superioris præscribat, alios prohibeat, ac necessitatem parendi cum vi coactivâ hominibus imponat, adèdèque eos, qui secus agunt, de peccato arguat, iram Dei ac pœnas ei denunciât &c. *Evangelium* verò formaliter esse doctrinam de Gratia Dei, hominibus, licet peccato corruptis, oblata, deque remissione peccatorum per Christi meritum acquisita, & per fidem in Christum applicanda, unâ cum cæteris bonis spiritualibus, in hac & futura vita obtinendis.

§. XIV. Sic in ipsa *Concordiæ Formula* legimus *vocabulum Evangelii interdum de tota Christi doctrina accipi, quam ipse in ministerio suo, quemadmodum & ejus Apostoli, professus est: in qua significatione Marc. I. & Act. XX. vox illa usurpatur. Vid. p. 292. num. V. & hâc ratione Christum legis explicationem, & annunciationem clementiæ & gratiæ Dei Patris sui fuisse complexum, profiteamur, in Dec, Sol. p. 710.* Non tamen negligere patimur propriissimam

simam significationem Evangelii, quâ tantum prædicationem de clementia Dei complectitur; quæ etiam ibidem p. 710. 711. mox inculcatur, tunc omnino observanda, quando Lex & Evangelium, sicut & ipse Moyses ut doctor Legis, & Christus ut doctor Evangelii, inter se conferuntur. p. 593. Altera enim illa latior acceptio extra discrimen Legis & Evangelii usurpatur. p. 710. Definitiones autem Legis propriè, & Evangelii propriè accepti, velut unanimi consensu receptæ habentur p. 713. 714. videlicet, quod Lex propriè sit doctrina divina, in qua justissima & immutabilis Dei voluntas revelatur, qualem oportet esse hominem, in sua natura, cogitationibus, verbis, factis, ut Deo probari & acceptus esse possit. Simul autem transgressoribus Dei iram & temporalia atque æterna supplicia denunciat &c. Evangelium autem propriè sit doctrina, quæ docet (quandoquidem homo Legi Dei non satisfecit, sed eam transgressus est, & Legi Dei tota ipsius natura, cogitationes, sermones, facta, repugnant: unde & ira Dei, morti, omnibusque temporalibus ærumnis & æterno gehenna incendio obnoxius est) quid miserimus ille peccator Credere debeat, ut remissionem peccatorum apud Deum obtineat: videlicet Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum in sese suscepisse maledictionem Legis ferendam, omnia nostra peccata plenissimâ satisfactione expiasse: ita quidem ut per ipsum solum cum Deo reconciliemur, remissionem peccatorum per fidem consequamur, à morte omnibusque aliis peccati suppliciis liberemur, & in æternum salvemur.

§. XV. Itaque cum Andræus argumentatus esset: Quicquid à Christo est traditum & in Evangelio scriptum, pertinet ad justitiam fidei: Sed si vis ad vitam ingredi, serva mandata: Item: Hoc fac & vives, est Christi sententia & est in Evangelio scripta. Ergo doctrina Evangelii & justitia fidei est, quod homines & debent & possunt vitam æternam suis sibi operibus promereri. Respondit B. Martinus Chemnitius: Puerilis est hallucinatio, ab ipso Augustino refutata: Doctrinam legis & Evangelii libris veteris & novi Instrumenti ita distinguere, ut in alteris nihil, nisi legem; in alteris nihil nisi Evangelium contineri existimetur; cum manifestissimum sit, Christum & Apostolos in Novo Testamento sæpè doctrinam legis tractare & explicare, vicissim in Mose & Prophetis, in multis locis

locis ipsissima doctrina Evangelii describatur. P. I. Exam. Conc. Trid.
de Justif. p. m. 272.

§. XVI. Nec tamen est, quod quis existimet, hâc ratione Pontificios in re ipsa non errare, quando Evangelium continere leges propriè dictas, atque ita dari Legem Evangelicam, statuunt; cum non loquantur de Evangelio in strictiore, sed in latiore significato: neque adeò esse, nisi quaestionem de vocibus: Nosstrates autem tantò minus causæ habere accusandi illos, cum latiore illam acceptionem Evangelii usitatam esse negare non possint. Bellarminus sanè l. c. adversus illos, qui Evangelium solâ consolatione definiunt; ita scribit: Cogitent, an non satius esset, corrigere definitionem illam, quàm dicere, maximam partem sermonum Christi non esse Christi verba sed Mosis: & Christum in Evangelio nihil minus quàm Evangelium prædicare. Sed cogitandum ipsi Bellarmino erat, non posse à nobis mutari definitionem illam, quam Scripturæ ipsæ suppeditant, quoties de Evangelio ratione doctrinæ propriæ loquuntur, quamque nomen ipsum τὸ εὐαγγέλιον indicat: nec necesse esse, ut dicamus, partem illam sermonum Christi, quâ præcepta legis traduntur, non esse Christi verba: Manent enim utique verba loquentis, licet non sint verba Evangelii propriè & strictè sic dicti. Unde nec absurdum est, Christum in aliqua parte Evangelii laxiùs dicti non prædicare Evangelium strictè dictum. Sufficit enim, hoc aliàs à Christo & frequenter & sufficienter, imò abundanter, prædicari. Illud autem etiam falsum est, quòd quæ maximam partem sermonum Christi constituunt, sint legalia; non consolationis Evangelicæ.

§. XVII. Breviter autem, quòd de conceptu Evangelii disputatur, huc redit. Significat Evangelium quemadmodum vi vocis, bonum nuncium; sic ex usu loquendi Scripturarum, propriè doctrinam de gratia Dei peccatoribus salvandis per Christum parata &c. uti diximus. Per Synecdochen autem partis pro toto factum est, ut tota doctrina à Christo & Apostolis proposita, cujus pars est illa, quæ de gratia Dei agit, Evangelium diceretur, denominatione à parte potiore petita, unde hominum aliàs periturorum salus oritur & pendet. Pontificii autem, qui non tantum

tum negant, Evangelii propriam significationem esse strictiorem illam; verum etiam hac ratione plane sublatum eunt eam definitionem Evangelii, quam precise denotat doctrinam de gratia DEI & connexis; quam tamen Scriptura tradit & inculcat; utroque nomine peccant: tantum abest, ut causam habeant postulandi correctionem nostrae definitionis: quibus si obsequeremur, non tam corrigere corrigenda; quam depravare recta & orthodoxa deprehenderemur.

§. XVIII. Quod si verò quæras, quid causæ sit, quod Pontificii pro latiore illa definitione Evangelii adeò pugnent, & strictiorem corrigere jubeant? id responsi habendum est, quod cum justificationem ex Evangelio pendere doceat Scriptura; ipsi verò justificationem ex operibus oriri, antiquo errore statuunt; quam Nostri ex adverso merè gratuitam, nulli nostro merito, sed alieno, videlicet Christi, fide nostra apprehenso, unicè adscribendam esse docent; ideò Pontificii, Evangelii nomen retinentes, id agant, ut justificationem ex observatione legis in Evangelio contentæ proficisci, docere porrò possint. Sic error errorem trudit, ut unda undam.

§. XIX. Sed videamus paucis, quæ sint illa Legis Evangelicæ à Pontificiis assertæ præcepta. *Becanus* qui ferè clariùs, quam ceteri, mentem suam & suorum exposuit, l. c. §. 4. dicit *Legem novam, quæ à Christo data est, continere triplicia præcepta, nempe Moralia, sacramentalia & Fidei.* Illa *Matth. V. VI. VII. & XIX.* Illa *Job. III, 5. & VI. 53.* Hæc *Marci XVI. 16. & Job. VIII. 24.* contineri perhibet. Addit autem, *Hoc interesse inter hæc triplicia præcepta, quòd sacramentalia sint verè & propriè à Christo instituta: reliqua non tam instituta, quam aucta vel explicata. Et quidem moralia, ait, cum sint juris naturalis, non egebant institutione, sed explicatione. Præceptum autem fidei aliquo modo auctum est. Nam Christi Nativitas, Passio, Mors & reliqua mysteria, quæ à Judæis implicite & obscure credebantur, jam expressè & distinctè creduntur à Christianis.*

§. XX. Nos, quòd Moralia præcepta non fuerint à Christo instituta, sed explicata; promptè agnoscimus. Hoc enim est, quod maximè urgemus, Legem Moralem jam olim sine defectu

B

inte-



integram latam ac promulgatam, non fuisse demùm sive ex toto sive ex parte. per Christum noviter institutam. Attamen etiam *Becanus* hîc fraudulenter simul ac timidè rem agit, cùm Legem Mòralem à Christo *institutam* negat, *auctam* per eum fuisse, non aequè apertè negat: nimirum ne sociis contradicere videatur. Nam & *Maldonatus* ad Cap. V. Matth. v. 21. p. m. 126. seqq. prolixè disputat, Christum per hoc legem implisse, quod addiderit, quæ in illa desiderabantur: non tantùm legem interpretari, sed novam condidisse legem, novam attulisse doctrinam: eos autem, qui ex suis docuerunt, Christum non legem, sed scribarum Pharisæorumque traditiones interpretationesque corrigere, ideò lapsos esse putat, quòd minore, quàm Catholicos decet, cautione hereticorum commentarios legerint. Parum etiam abest, quin *explicationem* Legis de promulgatione ejusmodi exponat, quâ demùm factum sit, ut actu obligaret ad obediendum in talibus præceptis. Sed nobis hactenùs satis esse potest, quòd *Becanus* præcepta illa, quæ alii à Christo, tanquam novo Legislatore, data esse, fingunt, *juris naturalis* esse, neque adeò novâ institutione eguisse, fatetur. Hòc enim admissò, non est, cur dicamus, Christum ea tanquam novam Legem instituisse, quæ nova institutione non egebant. Præcepta *fidei* quod attinet, supponit *Becanus* sententiam de fide implicita credentium & sanctorum V. T. de qua tamen, quantum attinet ad ipsum opus Messia mediatorium, à circumstantiis distinctum, necesse omnino fuerat fateri, quòd eatenùs non tam auctum, (uti nec institutum) quàm explicatum tantùm fuerit præceptum fidei. De quibus tamen, cùm aliàs disputetur sæpè, licebit hîc nobis esse brevioribus.

§. XXV. De *Sacramentalibus* autem præceptis, ad legem novam referendis, paulò major difficultas apparet. Nimirum sacramenta duo, Baptismi & S. Cœnæ, à Christo recens instituta fuisse, quæ antea non vigeant; manifestum est. Institutionem illam importare præceptum de specificatione actus; nec deesse præceptum de exercitio actus, similiter concedi debet. Sic à Christo nova præcepta sacramentalia data fuisse, non minùs concedendum videtur. Attamen & de hoc, & an Legis Evangelicæ nomine appellari possint, aut debeant? quæstio moveri poterit.

terit. *Wittebergenses Theologi* p. m. qui Catechismum Racovien-
sem Socinianorum confutarunt, Artic. V. Cap. III. p. 380. non
dubitarunt institutionem S. Coenae dicere *Præceptum Evangelicum*.
Sic enim scribunt: So iemand die Einsetzung des H. Abend-
mahls ein Gebot Christi nennen will / mag er es ein Evange-
lisch Gebot nennen / denn mit dem Gesetz Moses hat es nichts
zuschaffen. B. *Gerhardus* noster T. III. L. de Evang. Cap. XIII.
S. 70. p. m. 386. ad objectionem Pontificiam: *In Evangelio pro-*
ponuntur mandata de usu Baptismi & Coenae, E. Christus est novus Be-
gislator: respondet, mutari statum questionis: neque enim de sacra-
mentorum institutione, sed de legis moralis perfectione queri. Vi-
detur ergo concedere mandatum sacramentale novum; negare
autem novam legem moralem à Christo sancitam. B. *Josua Steg-*
mannus Photinianif. Disp. XIX. Q. VIII. p. 320. ad Questionem,
An præcepta quaedam specialia ad mores pertinentia à Christo pro-
mulgata sint? Respondet, de præceptione ad Ceremonias pertinente,
qualis est Coena, nullum esse dubium: circa mores, quæ adversarii
nominant, omnia lege includi. &c.

§. XXII. Notandum autem hîc est, quòd laudati Docto-
res non solùm à termino *Legis Evangelicæ* abstineant, licet Wit-
tebergenses Theologi *præceptum Evangelicum* dicere permit-
tant; verùm etiam de ipsa Sacramentorum institutione sic lo-
quantur, ut, quod Evangelio proprium est, ab eo, quod Legale
videtur, distinguant: nimirum Sacramenta nobis, ut media gra-
tiæ, non in nostrum onus; sed in commodum nostrum spiritua-
le offerri & commendari: celebrationem ipsam non tam esse ope-
rosam actionem, quàm receptionem salutarem: atque hæcenus ad
Evangelium Legi contradistinctum referri debere Sacramenta à
Christo instituta: Quòd autem Deo auctori in usu legitimo obe-
dientiam debitam probamus, ad primum Decalogi præceptum
pertinere. Vid, in primis B. *Gerhardus* l. c. Atque hæc ratione ni-
hil profus lucrantur Pontificii: & manet potiùs discrimen Legis
atque Evangelii, prout à nostris traditur, certum ac maifestum.

§. XXIII. Pontificii nomine Legis Evangelicæ interdum
etiam comprehendunt *Consilia*, quæ *perfectionis* aliàs vocant,
præsertim *triplex illud genus, Castitatis perpetuæ, voluntariæ Pau-*



perpetuis & Obedientie perpetuae : ad quæ omnia alia consilia revo-
centur. Vid. ipse *Thomas* Q. CVIII. art. IV. Sed *Gregorius de Valentia*
Tom. II. Disp. VII. Q. VIII. P. II. p. 1044. D. existimat, hæc non
esse materiam Legis, si propriè accipiatur, scilicet ut obligat, sed im-
propriè, ut lex nova dicitur tota summa Christianæ religionis. Et
sanè, ubi non est obligatio, ibi non est ratio legis propriè dictæ.
Atque aliàs Pontificii statuunt, impleri legem Evangelicam etiam
ab illis, qui consilia ista non observant : eos autem, qui servant,
supererogare, sive ultra aut supra id, quod ex debito præstandum
aut solvendum erat, aliquid numerare, quod pretium habeat, ac
peculiariter compensandum sit à Deo.

§. XXIV. *Nostrates non omninò negant differentiam*
consiliorum & præceptorum. Monent autem, consilia à præce-
ptis distincta, spectare opera *indifferentia* (*ἀδιάφορα* vulgo vo-
cant) quæ in se necessaria non sunt, sed hætenùs cujusque judi-
cio & arbitrio permittuntur ; verùm etiam hætenùs per se bona
non sunt, sed per accidens, respectu causarum & circumstantia-
rum certarum, ex quibus bonitas illorum fit æstimanda : unde
tantò magis negant, ea esse meliora operibus Lege præceptis :
quippe quod illa demùm per relationem ad hæc, à quibus pendent,
bonitatem aliquam habeant. Cæterùm non solum *castitatem* illam
perpetuam i. e. coelibatum, non obstantibus unctionibus & im-
munditie multiplici ; *paupertatem voluntariam* i. e. abdicationem
possessionis bonorum propriorum, non obstante fruitione &
abusu bonorum alienorum ; denique *obedientiam perpetuam* i. e.
observantiam humanarum constitutionum certi ordinis monasti-
ci, maximam partem in externis & non necessariis, neque Ecclesiæ
aut Reipublicæ utilibus rebus, occupatarum, utut cum denegatio-
ne obsequii, Parentibus aut Magistratui debiti, conjunctam : qua-
lia praxis Pontificia Consiliorum nomine in pretio habet ; pro o-
peribus à Christo sive mandatis, sive consultis, & ad perfectionem
Evangelicam, Legali majorem, facientibus mediis habere non
audent *Nostrates*, neque possunt.

§. XXV. De *Impletione Legis Evangelicæ*, quatenùs hæc, præ-
seindendo à consiliis, sive præcepta planè nova, sive præceptorum
veterum explicationem à Christo factam, Pontificiis notat ; bre-
viter

viter monemus, doceri quidem ab illis, quod Christus nobis suo merito acquisiverit divinitus conferendas vires, per quas legibus suis obedientiam sufficientem præstare possimus: sed & hoc falsum esse. Nam ipsa potius obedientia Christi, quam Legi in rigore suo summo spectata præstitit, pro nobis, tanquam impotentibus ad præstandam illam, præstita est, atq; ita nostræ obedientiæ, quæ adesse debebat, sed abest, vicaria; nobis imputatur, qui eam ab illo pro nobis præstitam esse credimus. Sic impletio Legis *Imputata* fidelibus competit: ac modus habendi illam *non est legalis*, sed *Evangelicus*. Aliud autem est *Evangelica hæc impletio legis*. Aliud, *impletio legis Evangelicæ*, quam nos ipsi præstemus. *Illam* agnoscimus; videlicet ex gratia, quam Evangelium prædicat, revera proficientem, & nobis innotescentem: *Hanc* agnoscere non possumus, dum Legem & Evangelium confundere nolumus, & non-entis non esse affectiones, certi sumus.

§. XXVI. Nostra autem, quæ hujus vitæ est, obedientia, quantumcunque Legi conformis, *non potest dici implere legem*, *proprie* loquendo. Quæ ex Scripturis adducuntur loca, ut probent legem impleri à renatis; certum est, ex contextu verborum & analogia fidei, non agere de impletione consummatâ aut absoluta & κατ' ἐξοχήν sic dicta; sed *vel* planè non loqui de nostra, quæ nobis propria fit, impletione legis; verùm de aliena, quæ nobis imputatur, & Mediatori est propria: *vel*, si de actibus nostris intelligenda sint, *imperfectam*, aut *secundum quid* talem, (prout aliàs perfectio partium & graduum distingui solent) adeoque *improprie* dictam denotari. Altera enim illa, absolutè accepta, Legis impletio renatis potius denegatur, partim per assertionem relictæ in nobis inordinatæ concupiscentiæ, atque ipsum Legis usum, qui ad mortificandas carnis reliquias spectat; partim per necessitatem orandi pro remissione peccatorum, licet sumus in regno gratiæ, sanctificando nomini DEi, & faciendæ voluntati ejus intenti. Cesset ergò Pontificiorum doctrina de Legge Evangelica!

§. XXVII. Affinis ei est *Socinianorum* sententia, quibus Lex Evangelica & præcepta Evangelica, Legi veteri addita, non minus frequenter in ore atq; in calamo sunt, atq; ipsis Pontificiis. *Cate-*

ebismus ipse Racoviensis in tractatione officii Prophetici Christi occupatus, præcepta nova non minus, quam nova promissa prolixè tradit. *Socinus, Crellius, Schlichtingius, Wolzogenius*, cum aliàs, tum in explicatione Cap. V. Matthæi, eò omnes tendunt, quòd Christus Legi Mosis, quoad moralia præcepta spectatæ, addiderit nova præcepta, idque in Evangelio. *Smalcus* etiàm contra *Franzium* Disp. VII. p. 228. seqq. operosè disputat, *præcepta Legis esse aucta & perfectà à Christo, hoc est plus esse à Christo præceptum in Evangelio, quàm olim Lex per Mosen tradita præciperet*; atque ita *diversitatem præceptorum legis à præceptis Evangelii*; & quomodo hæc illis *perfectiora* sint, per singula Decalogi præcepta ostendere, atque ad *Franzii* objectiones respondere nititur. Denique causam novitatis *præceptorum novi fæderis* declaraturus; *Rex, ait, est Jesus Christus populi sui. Regum est, leges figere & refigere. Itaque Christus, quas voluit leges divinas, factas rectas conservavit, quæ scilicet à ratione pendebant; & ut promissa nova attulerat, sic etiam præcepta nova attulit: quas verò voluit, refigere, quæ scilicet à sola legislatoris voluntate pendebant, vel certè populo ad certum tempus certis de causis tradita erant.* Sed profectò *Smalcio* neque cum sociis, nec secum, neque cum Scripturis Sacris rectè convenit. Constat (1) *Socinianos* communiter Christum habere pro Deo non summo, sed subordinato; atque hanc ipsam doctrinam *Smalcus* contra *Franzium* & *Smiglecius* aliosque acriter propugnat. Atqui si Christus sit DEUS inferior, quomodo ei licuerit, *leges divinas, quas voluit, factas rectas conservare; quas verò voluit, refigere?* Siccine inferior Leges superioris pro lubitu mutaverit? Nec est, quod dicatur, factum id esse cum consensu superioris, qui ei potestatem regiam dedit. Sic enim non simpliciter in libera voluntate inferioris relictū fuisset, quod ex aliena superioris voluntate pendebat, Aut dicendum foret, Deum summum DEO inferiori facultatem dedisse, quâ, tanquam summo superior, uteretur? Ecce *ἀνομία* *Smalziana!* Deinde (2) fatentur *Socinus* & socii communiter, legem moralem veterem passam esse adjectiones novorum præceptorum moralium per Christum; & *Smalcus* ipse præcepta nova his accessisse agnoscit, quæ à ratione pendebant. Et sic non omnia, quæ à ratione pende-

debant, ac lege naturæ determinabantur, divina lege olim sancita fuisse dicendum est, verum aliqua temporibus Christi servata, ubi demum sancirentur. At quomodo DEus, qui & ipse auctor legis naturæ est, potuerit non præcipere hominibus priorum seculorum, quæ tamen jam per ipsam legem naturæ præceperat? Itane homines possunt non obligari ad ea, quæ à ratione, & creaturæ rationali, ut tali, necessariò conveniunt? Attamen Smalzius l. c. addit hæc verba: *Haberemus sanè causam justissimam & amplissimam exagitandi adversarios, & eorum inscitia insultandi, si nobis propositum esset alios potius carpere, quàm docere: quæ nos adversus ipsum & socios rectius usurparemus.*

§. XXVIII. Longum esset, ea omnia sigillatim sub examen vocare & confutare, quæ Sociniani de additamentis ad singula præcepta Decalogi; (exceptis tertio & quarto, quæ illis quartum & quintum sunt,) deque præceptis tribus peculiariter à Christo præscriptis, magnò conatu nugantur: quæ tamen etiam, post B. B. *Theologos Wittebergenses*, Catechismi Racov. confutatores, *Gerhardus*, *Feuerbornius*, *Stegmannus*, *Seherzerus*, aliique dissolverunt. Illa solùm duo *πρώτη & δεύτερη* notabimus: unum, quod legis Veteris, quam Mosaicam dicunt, præcepta præcisè ex litera æstimant: quemadmodum *Smalzius* eò nomine B. Franzium sæpius exagitat, quòd *pro eo, quod Sociniani dicunt, in lege, nempe Mosis, non contineri prohibitionem istarum rerum, substituat veterem Scripturam.* vid. p. 229. 249. seqq. Quasi videlicet sic à cortice verborum tunc pendere homines voluerit Deus, ut planè in fumum abituræ sint regulæ ad interpretandum Decalogum spectantes: *Præcepta affirmativa includunt contraria negativa; & vice versâ. Præcepta aut prohibita unâ specie, præcipiuntur ac prohibentur reliqua species sub eodem genere.* Nimirum his conculcatis, atque ex adverso restrictâ vi legis veteris, facile erat fingere additiones novas per Christum. Et tamen ipsi aliàs agnoscunt, legem considerari debere, non solùm quoad ea, quæ aperte ad literam expressè & secundùm speciem; sed etiam quoad illa, quæ implicitè in generali sensu præscribit: qualia apud *Crellium* & *Schlichtingium* non semel leguntur. Alterum est, quod hîc notari



tari debet, doceri à Socinianis, *differentiam* Legis & Evangelii *duplicem* hanc esse; Priorem, quod *lex* requirat, ut Deo *carne*, (i. e. carnali & externa ratione divini cultus, quæ in carne & per carnem potissimum exercetur,) *servias*: Evangelium, ut Spiritu: id est spirituali cultu & ratione. Posteriolem, quod *lex* opera exigat, (nimirum perfecta;) Evangelium *fide* (quæ credatur in Christum i. e. fides habeatur loquenti, & sub spe promissorum, ab ipso propositorum, ejus mandatis pro viribus pareatur,) contentum sit. vid. Crellius Comment. in Ep. ad Gal. c. V. §. 5. p. m. 427. b. & in Ep. ad Rom. III. 22. 28. p. m. 108. a. 114. b. Quæ ratione *partim* præceptum vetus de diligendo DEO ex toto corde, tota anima &c. vel planè tollendum erit ex V. T. vel pro carnali, non spirituali, habendum; *partim* fides in Christum nec pro fiducia in merito ejus defixa habetur, & cum operibus, à quibus distingui debebat, confunditur. Atque ita error errorem trahit, ut vara vibiam.

¶. XXIX. Sed nunc missos faciemus Socinianos, ac tantum obiter attingemus cognatos eorum *Remonstrantes*, quorum similis est sententia; *Evangelium* continere *præcepta* propriè dicta, quorum obedientiam Christus sub conditione promissæ salutis ab hominibus exigat. vid. post *Apol. Remonstr.* c. XIII. & *Episcopii Dispp.* T. II. Opp. f. 422. seqq. *Phil. à Limborgh* Theol. Christ. L. III. Cap. XVI. §. 3. 4. p. 245. in quo mox animadvertimus, confundi assertionem hanc; quod DEUS ab hominibus salvandis exigat obedientiam: quæ vera est & extra controversiam; & illam Pontificio-Sociniano-Arminianam aut Episcopianam, quod DEUS vi Evangelii propriè dicti, in ipso justificationis actu exigat obedientiam illam, eamque spectet. Cæterum argumenta, quæ Limborghius affert, certum est in Socinianorum scriptis pridem extitisse, ut, qui his responderit, etiam illi facile satisfecerit. Ille autem etiam eò abijt, ut ad componendum amicè dissensum, circa quæstionem: *An D. JESUS novorum præceptorum additione Legem perfecit?* satis esse putet, si distinguamus inter sensum Legis literalem & mysticum; seu eum, quem *litera* præcisè sumta indicat, & eum, quem *juxta ultimam Dei intentionem*, licet clarè non expressam involvat. Priori sensu veram esse quæstionis partem affirmativam, eoque Socini dicta intelligi. Sed nos equidem non urgebimus catachre-

fin



sin distinctionis sensus literalis & mystici, quæ hic manifesta & quasi quicquid per verba non significatur formaliter, sed virtualiter & per consequentiam, quantumcunque manifestam & necessariam, sit sensus mysticus; (de quo nunc non vacat agere pluribus) tantum observamus, Patronum Socinianæ sententiæ in eadem cum illis difficultates involvi, quas antè notavimus: quibus ut se extricaret, nihil attulit. vid. §. præced. XXVIII. Circa præceptum etiam *de diligendo Deo ex toto corde, ex tota anima &c.* quod negare non potest, extare expresse in Lege veteri, & esse *compendium & summam specialium*; & per illud *modum obediendi similem olim fuisse exactum illi, qui nunc sub Evangelio exigitur*; valde se torquet. Fingit, *diligere Deum, hinc esse diligere ut Legislatorem; DEi autem ut legislatoris dilectionem mandatorum ejus observatione consistere*; juxta *Job. XIV. 21.* Negligit autem formalem significationem *et diligere*: nec attendit, Deum hominibus sensu corruptionis suæ afflictis, non tam, ut Legislatorem, quam quatenus auctor gratiæ est, fieri objectum amabile: & de hoc, quomodo sub Lege veteri locum habuerit, vel non; altum silet. Atqui hinc omnino quæ rebatur: annon dilectio, tanquam actus internus voluntatis, & velut motivum formale aliorum actuum, ad nutum DEi, quem diligimus præstandorum, sit aliquid spirituale, non carnale & externum? & si hoc, quomodo in V. T. locum habuerit? quomodo hæc dilectio ipsa additamentum ex parte sui postea admiserit? Nam quod Limborgius hinc sufficere putat *specialia præcepta*, quæ olim; & quæ in N. T. data fuerint, *eorumque inter se comparationem*; id equidem nihil est. Non enim ultra dilectionem ex toto corde, majorem dilectionem præscribit, qui novam occasionem e-dendi specimina dilectionis ex toto corde, suppeditat: neque adeo præceptum illud prius auget: quod tamen erat demonstrandum.

§. XXX. Præcepta Evangelii esse *Fidem & Resipiscentiam*, docet ibidem Limborgius §. XIX. XX. p. 249. a. Nititur autem *partim* eâ hypothesi, quod ante Christum exhibitum, non fuerit olim necessarium omnibus, fide in illum ferri, tanquam redemptorem mittendum: *partim* in illud absurdum delabatur, quod resipiscentia olim non æquè præcepta, aut vi promissionis de remissione peccatorum locus ei datus fuerit: quorum utrumque falsum est, & Socinianum.

C

§. XXXI.



§. XXXI. De *Quakeris* etiam nonnihil dicendum, qui-
us *Evangelium*, propriè loquendo, est interna illa vis, virtus & vi-
ta, qua bonorum annuntiatio in omnium cordibus predicatur, salu-
tem illis offerens, & ab iniquitatibus eorum redimere volens eos, quâ
non solum reveletur justitia DEi ex fide in fidem, i. e. quod bonum
justum & æquum est, sed etiam ira DEi super omnes, qui veritatem
in injustitia detinent. Sic enim cœtus sui nomine loquitur R.
Barclajus Apol. Thes. V. & VI. §. XXIII. p. 102. 103. Atque ita
Lex & Evangelium illis differunt, quod lex sit litera externa, aut
extra scripta: Evangelium lex interna, spiritualis, que dat vi-
tam &c. Apol. Th. II. §. II. p. 59. Sed & Legis Evangelii men-
tionem facit Apol. Th. VIII. §. VIII. p. 159. Evangelium requi-
rere qualificationes necessarias à nostra parte peragendas, dicit A-
pol. Thes. VII. p. 131. conf. Apol. Th. XII. p. 275. Nimirum
lumen illud internum & immediatum Quakeris est omnia, & sic
etiam Evangelium & Lex, & virtus & vita. Argumenta autem
pro Lege Evangelii non alia adsunt, quàm quibus laxior, seu
Synecdochica acceptio vocis Evangelii cum significatione propria
confunditur, aut quod ad homines sub pacto Evangelico consti-
tutos pertinet, ad Evangelium ipsum directè refertur: unde vel
petitio ejus, quod est in principio, committitur, vel Ignoratio
Elenchi.

§. XXXII. Sic autem apparet, eos in asserenda Lege aut
præceptis Evangelicis facilè convenire, qui justitiam Legis & ju-
stitiam Evangelii commiscent: quod & Pontificii & Sociniani &
Remonstrantes & Quakeri faciunt: quamvis aliàs hypothèsibus
variis inter se differant: dum alii justitiam Christi nobis imputa-
tam prorsus negant, alii saltem justitiam nobis inhaerentem impu-
tata in articulo justificationis assuunt; omnes tamen justificatio-
nis gratiam in Evangelio unicè quærendam esse, negare non pos-
sunt. Justitiam itaque Evangelicam, quam nos cum Scriptura
dicimus esse non nisi perfectam Mediatoris justitiam, quam E-
vangelium solâ imputatione nostram fieri doceat, qui credimus,
eum alioqui sit aliena; illi sic explicantes, ut nostram aliquam
internam ac propriam justitiam in foro divino spectari dicant,
cujus intuitu justii reputemur; jam ipsum Evangelium in Legis
for-

formam transmutant, cui videlicet illa justitia nostra aut actuum
sive operum nostrorum, velut normæ, respondeat. Ex hoc, inquam
fonte rivi illi errorum congeneres, licet quodammodo divisi, flu-
xerunt, ut haberemus legem Evangelicam, aut Evangelium legale.

§. XXXIII. Cæterum nec negare volumus, quod B. Hül-
semannus memorat; *vulgatò illo discrimine Scholasticorum, quod*
Lex & Evangelium pariter requirant opera, solum autem Evangeli-
um conferat vires præstandi; in nonnullorum Patrum scriptis
reperitò, nonnullos etiam orthodoxorum scriptorum uti. Prælect. ad
Brev. Cap. VIII. Th. IX. X. XI. quæ extant inter opera ejus post-
humæ, pag. 1176. 1177. & repetuntur à B. Scherzero Brev. Hülsem.
enucl. & auct. pag. 487. Hodiè autem benè est, quod, qui dissen-
tire videbantur, ipsi etiam expressè docuerunt, Evangelium forma-
liter esse promissionem; & præceptivè non exigere opera; attamen
sub pacto Evangelico illis, qui crediderunt jam Evangelio, Legem
hoc gratitudinis debitum imponere, ut serviant DEo in sanctitate &
justitia cunctos dies vitæ. Luc. I, 75. Cavendum modò, ne aliis ad-
hibitis phrasibus aut sententiis, labefactari videatur, quod posi-
tum est. Antinomus autem, præcipuè Johannem Islebium Agrico-
lam, Libri Interim, ad fallacias turbasque compositi, confarcina-
torem, (qui cum manifesta Legis contumelia, ex Evangelio, fecit
concionem penitentiae, respectu contritionis non minùs, quam fidei,
arguentem peccata &c.) non moramur: quem cum Pontificiis con-
tra Ecclesiam nostram colluisse, unumque, quod ajunt, cornu
sufflasse, nimis quàm apertum est. Vid. Nostrates, qui in Form.
Conc. commentati sunt, passim.

§. XXXIV. Ad alteram significationem Legis Evangelicæ
pergemus, quâ Legis aliàs rigidioris attemperatio, aut in casu re-
cto, Lex per Evangelium attemperata, intelligitur. Cujus quidem
acceptationis usus rarior est; res ipsa verò aut sententia non rarò
nec leviter in controversiam venit. Certè Job. Melchior Stenge-
rus, inter alias ab ὑπόστροφος ὑγιαίνων λόγων alienas sententias,
de discrimine Legis Mosis & Christi, cò abiit, ut doceret, *lege Mo-*
sis omnia omninò delicta; Christi præceptis autem tantum præere-
tica peccata prohiberi: sic legem Christi leniorem esse, quàm Mosis:
(Christus habe ein gelinder Gesetz gegeben / als Moses.) sic
imple-

impleri (absolutè loquendo) *legem Christi* (licet *lex Mosis* non impleatur) à *renatis*: docuit. Vid. *Palinodia* (falso nomine dicta) *Stengeriana*, p. 10. seqq. *Einschärffung*. Lib. II. cujus doctrinæ cum *Sociniana* affinitatem accuratè ostendit *B. Musæus* noster *Tract. Germ. de Pœnit. contra Steng.* P. III. c. VI. p. 562. seqq. præsertim p. 575. postquam tota *Vener. Facultas Theologica*, editis tribus censuris, heterodoxiam illam notaverat. vid. cit. libri P. II. c. I. p. 160. Cap. II. p. 198. seqq. C. IV. p. 289. 290. Sed & in peculiari scripto, *Beylage*/ *ibid.* Cap. III. num. IV. p. 238. seqq. expresso, p. 245. hæc extant *Stengeri* verba: Das ist gewiß/ daß der Mensch der vor der *Wider= Geburth* war unter *Mosis Gesetze*/ nach der *Wider= Geburth*/ und wenn er nun ein neuer Mensch worden/ hat er das *Gesetz Christi*/ das ist/ das gemäßigte *Gesetz Mosis*/ dem er bey Verlust *Göttlicher Gnade* muß folge leisten. Et paulò post: Weil dieses letztere *Gesetz Christus* hat gegeben/ als ein *Gnaden= König*/ als ein gelinder frommer *Meister*/ als ein barmherziger *Vater*/ darumb heißt das *Gesetz* in sonderlichem *Verstande* das *Gesetz Christi*/ als ferne *Moses* und *Christus* im *Gesetz* gegen einander opponirt werden. Atque ad hæc coloranda, *B. B. Hunnii*, *Eccardi*, *Gerhardi*, *Kromeyeri*, *Pfeilii*, loca & verba adducit *Stegnerus*, *Palin.* p. 6. seqq.

§. XXXV. Equidem in *B. Hunnii* *Comm. in Ep. ad Rom.* c. XIII. P. II. L. c. III. T. IV. *Opp.* p. 124. 125. verba ejusmodi leguntur, quod *Christus præceptum caritatis attemperaverit*; quod per illum *sublatus sit intolerabilis ille rigor & damnatio Legis*: quod *Mosis lex impleri à nobis non possit: lex Christi autem, quam de caritate colenda nobis præscripsit, possit ab hominibus renatis impleri*. Sed si vel mediocriter attendamus, manifestum erit, *B. Doctorem* neutiquam docere, quod *Christus legem ipsam veterem*, quoad objectum & vim obligandi mutaverit: sed tantùm, quòd suo merito effecerit, ne qualiscunque defectus obedientiæ fidelium, secundùm rigorem legis, (quatenus deficiente vel leviter obsequio, ad pœnam obligat;) actu secundo vindicaretur: sed ut potiùs etiam hominum justificatorum obedientia imperfecta Deo placeret, atque adhærentes defectus tegerentur. Sic enim scribit l. c. *Expletur*

pletur lex Dei à Christianis, non in ea exquisita perfectione, quâ initio per Moſen lata eſt; ſed prout Chriſtus in Novo Teſtamento præceptum caritatis renovavit, idque reſpectu eorum, qui jam juſtificati ſunt, ſic attemperavit, ut Deus propter Chriſtum, inchoatam ipſorum novam obedientiam non velit ſecundùm rigorem juſtitie ſue examinare, nec damnare renatos, ſi maxime non aſſequantur exquisitiſſimam illam perfectionem legis divine. Quibus reſpondent, quæ idem habet in Comm. Ep. ad Gal. Cap. V. P. III. L. C. V. p. 444. b. *Moſes Caritatis præceptum in exacta ſua perfectione ſervandum urget. Chriſtus autem noſtro loco legem totam adimplens, abſolvit nos ab ipſo rigore Moſaico, nec exactiſſimam præcepti hujus obſervationem eſſagitat, ſed contentus eſt obſequio inchoato, dummodo ſerium illud ſit, & à ſincero erga proximum affectu dimanet.* Sanè Moſen & Chriſtum, tanquam duos Legislatores, ſibi ex adverſo opponi, nec hæc tènus apparet in dictis Hunnianis, neque ex aliis ejus dictis monſtrabitur. Phraſis autem illa, quòd Chriſtus exactiſſimam præcepti caritatis obſervationem non eſſagitet; non ſignificat, Chriſtum aliam dediſſe legem, quâ prioris legis vis obligandi ad obedientiam tolleretur aut minueretur: ſed tantùm indicat, Chriſtum, qui ut Mediator, ſuam perfectam obedientiam noſtri locò præſtitit, jam etiam ut Regem declarare, quòd eos, qui in ſe credunt, & ſerio, licet imperfectè, obediunt, tamen pro civibus regni ſui ſit habiturus: quemadmodum in humanis & civilibus, non ideò Rex leges veteres novis legibus latis tollit aut mutat, quando pro clementia ſua declarat, ſe ſincere ſervientes, licet aliquando ex infirmitate deliquerint, præſertim alieno merito aut interceſſione nixos, non eſſe privilegiis ſolitis privaturum, ſed potiùs præmiis affecturum,

§. XXXVI. B. Gerhardi autem verba ferè luculentiora ſunt, quæ habentur Harm. Evang. cap. LXXIV. p. 212. *Moſes & Chriſtus idem dilectionis mandatum proponunt, ſed non eodem modo. Moſes rigidiſſimè perfectam & omnibus numeris abſolutam caritatem requirit, quæ exactiſſimè cum norma legis divine congruat, proinde etiam accuſat & damnat omnes, quotquot non præſtant perfectiſſimam illam obedientiam. Chriſtus verò per ἐπιεικειαν Evangelicam rigorem illum mitigat, inchoatam & imperfectam cre-*

dentium caritatem, modo sit seria & ἀνυπόκριτος, paternè acceptat, adhaerentem imperfectionem & immunditiam merito suo te-
git &c. Opposuerat hæc & præcedentia B. Gerhardus errori Pontificiorum & Socinianorum, de novis legibus à Christo latis, quem à se negari expresse dixerat p. 204. Hic ergo, ubi unum di-
lectionis mandatum, sed non eodem modo, à Mose & Christo propo-
ni, docet, mens ejus huc redit: Mosen, ut ministrum Legis pecu-
liariter spectatum, & quatenus huic officio inhæret, perfectam
caritatem omnibus simpliciter præscribere, quam quilibet pro-
prium de se ostendat aut præstet; hætenus, dum alienam aut vica-
riam obedientiam non suppeditat, damnationem omnibus quo-
quo modo deficientibus annunciare: Christum autem, qui legem
quidem moralem olim latam, repetat & inculcet; tamen præter
hanc legis doctrinam, simul ut gratiæ præconem & pararium, id
præstare, ut in regno suo, ipsoque judicio divino, secundum Evan-
gelium, gratia potius quàm rigor locum habeat: atque ita, stante
quantumvis lege, stante etiam aliquâ ἀνομία, in obedientia aut ca-
ritate imperfecta fidelium; hi tamen non damnentur, nec obedien-
tia eorum prorsus displiceat, sed potius & persona illorum & ope-
ra imperfectè bona, gratiosè spectentur.

§. XXXVII. Quâ occasione de *Ἐπιεικεία Evangelica*, ad
pleniorum doctrinæ perspicuitatem quædam adjiciemus. De-
scribitur vulgò ἐπιεικεία, præeunte Philosopho L. V. Eth. ad Ni-
com. cap. XIV. quod sit ἐπ' ἀνόμιμα νόμιμος δικαίος, ἢ ἐλλείπει
διὰ τὸ καθόλου, Correctio juris legitimi, quâ parte deficit ob uni-
versalitatem sive generalitatem. Nec dubium est, quin Philoso-
phus digitum eò intenderit, quòd, cum Legislatores, in societati-
bus humanis ac civilibus, leges universaliter condant, nec tamen
omnes casus prævideant aut prævidere possint; hac ratione au-
tem fieri possit, ut, si juxta verba legis sententia super certo casu
aut facto ferenda sit, iniquum aliquid, sive à recta ratione
atque adeò jure naturali (quò suum cuiq; tribuendum, nemo præ-
ter causam lædendus est &c.) alienum admittatur; jam potius ex
adverso, qui potestate civili funguntur, suò judicio & amore re-
cti aut boni, defectum illum legis suppleant, & erratum emendent,
novamq; definitionem, quam prætermisit illa, quia singularia non
potest

potest nosse omnia, adjiciant: quemadmodum Paraphraſta vetus, quem Daniel Heinfius eſſe *Andronicum Rhodium* judicavit, ad locum illum Ariſtotelis diſſeruit. Quemadmodum autem Philoſophus ipſe *δικαιον νομιμον* ſeu *jus legitimum*, & *δικαιον φυσικον* ſeu *naturale jus* diſtinxit; atque *επανορθωμα* illud ſeu correctionem, non ad jus naturæ, ſed poſitivum humanum reſtrinxit; ita nobis obſervandum eſt, Legem illam caritatis per Moſen latam, quæ haud dubiè juris naturæ eſt, propriè loquendo non admittere correctionem talem, cùm in his legibus, quæ creaturam rationalem, ut talem attinent, non æquè ob univerſalitatẽ aliquis defectus, uti in legibus civilibus humanis, locum habeat. Præterquam quod & omniſcientia Divina omnes caſus futuros prævidit; ac proinde Deo indignum eſſet, dicere, quod Chriſtus in N. T. velut adhibitâ *επιεικεια*, aut correctione legis divinæ, oſtenderit, hanc alicubi *ελλειπειν* aut *deficere*, & ne quid contra jus naturæ admittatur, *επανορθωμα* quoddam locum habere debere. Quæ profectò ſententia B. Gerhardi noſtri nullatenus unquam fuit.

§. XXXVIII. Solet aliquando *επιεικεια* nomine appellari, quando declaratur, mentem legislatoris non eſſe eam, quæ in verbis apparet: & ſic interpretatione quadam, juri naturæ conſentaneâ, docetur, quid reverà lege ſtatutum fuerit, quid non. Quodſi hoc ſenſu dicatur, Chriſtum *επιεικεια* Evangelica attemperâſſe rigorem Legis Moſaicæ; jam ſenſus erit: Chriſtum ſuâ doctrinâ oſtendiſſe, quòd jam olim mens Dei, cùm per Moſen promulgaret legem, non fuerit, obligare hominem, ad ſe, Deum, toto corde diligendum abſque omni defectu actuque contrario, quantumvis involuntario: ſed quod tantùm mens Legislatoris fuerit, obligare hominem ad Deum pro viribus diligendum, & cavendos actus oppoſitos voluntatis. Verùm neque hic ſenſus eſſe poteſt ſanæ aſſertionis de Lege per *επιεικειαν* Evangelicam attemperata: quia potiùs fatendum eſt, mentem Dei legislatoris hanc omninò fuiſſe, obligare hominem ad perfectiſſimam DEi dilectionem, ſine omni defectu: prout hoc creaturæ rationali, quæ tali, neceſſariò conveniens erat. Neq; verò etiam hęc ratione adverſarius obtineret, quod vult: videlicet *Moſen & Chriſtum in*
ipſa

ipsa Lege sibi ex adverso opponi : quia sic potius una Lex fuerit Mosis & Christi; & Christus interpres solùm legis Mosaicæ, non autem novus legislator dici deberet.

§. XXXIX. Cæterùm nec negandum est, ἐπιείκεια in primis observari circa leges pœnales, ita ut, cùm certis delictis pœnæ certæ per ipsas leges sint destinatæ, fieri tamen possit & soleat, ut qui juxta legem pœnalem pœnâ certâ & gravi afficiendus esset; nihilominus, habitâ ratione circumstantiarum quarundam, vel planè immunis à pœna, vel mitiùs puniendus esse judicetur. Verùm hâc quidem ratione ἐπιείκεια vel rursus ad interpretationem legis, pœnalis nimirum, redit; vel ad dispensationem, seu exceptionem certi casus ab obligatione juris Legitimi: vel denique spectat actum non legislatori aut judici, qui legi aut justitiæ præcisè consideratæ inhæret, proprium, sed Regi aut Judici, quoad alias perfectiones spectato, aut Mediatori proprium.

§. XL. Hoc loco *prima* significatio admitti non potest. Sic enim rediret prior illa absurditas aut falsitas, quòd, cùm DEUS olim legem tulisset, cum comminatione æternæ mortis, eamque vi literæ legis ad omnes quoquomodo delinquentes spectantem; Christus in N. T. declaraverit, non fuisse olim, aut unquam, mentem DEi, ad universalem delinquentium reatum terminatam. Hactenùs enim connexa sunt obligatio legis præceptivæ ad obsequium, & deficiente obsequio ad reatum pœnæ, per legem pœnalem.

§. XLI. Circa *alteram* significationem notamus, quòd Grotius quidem L. II. de J. B. & P. c. XX. §. 22. Vasquium refutare ausus est, qui Correctionem legis cum Dispensatione confundat; cùm *nec omnis legis relaxatio, quæ saepe libere & dari & omitti potest, referenda sit ad ἐπιείκειαν propriè dictam; ac ne illa quidem relaxatio, quæ aut ex caritate aut ex justitiâ rectrice debetur, eò referri possit. Aliud enim esse, legem aut probabili aut etiam urgente causa tollere, aliud declarare, factum ab initio mente legis non fuisse comprehensum.* Juxta quem ἐπιείκεια Evangelica ad dispensationem referri non poterit. Quia verò supponit Grotius, ἐπιείκεια formaliter idem esse, ac declarationem, quod factum ab initio mente legis non fuerit comprehensum; dixerit

xerit fortasse Vasquius peti id, quod est in principio; & si superior descriptio Aristotelica valeat, posse omninò Dispensationem ad ἐπιείκεια referri (licet hæc fortasse latiùs pateat, quàm illa) videlicet quando dispensationi æquitas naturalis fundamentum præbet. Quamvis itaque concedamus, Evangelicam, quam vocant, ἐπιείκεια non esse propriè loquendo dispensationem in ipsa lege præceptiva aut prohibitiva: (Sic enim dicendum esset, quòd Christus solverit legem, quatenùs renatos ab obligatione illius exceperit, saltem eo usque, ne obligarentur ad perfectam obedientiam ac dilectionem: imò porrò dicendum foret, renatos non peccare, quando Deum non diligunt perfectè, & quando ex infirmitate carnis aliquid admittunt, quod rectæ rationi aut juri naturæ repugnat: Quorum utrumque falsum est & absurdum:) aliter tamen se res se habere videtur, si quærat: Annon, quatenùs lex divina maledictionem adjectam habet, Dispensationis nomine veniat, quòd in novo fœdere credentes in Christum liberi pronunciantur, & sic excipiuntur à maledictione legis, quæ aliàs illos premeret? Licet enim relaxatio illa maledictionis respectu renatorum non proficiatur à *justitia reëtrice*, cum de jure DEus non teneretur maledictionem illam relaxare, quando deest renatis obedientia perfecta propria; benè tamen est, quòd Grotius ipse agnoscit dispensationem *ex caritate*: qualis illa DEi, relaxantis maledictionem legis respectu renatorum, vel ideò dicenda videtur, quòd Scriptura ipsa hoc *caritati, benignitati, misericordie & gratie* divinæ adscribit, quòd nos, qui impotentes sumus ad perfectè obediendum legi, non tamen sub maledictione aut ira DEi vivimus. Gal. III. v. 10. seqq. Rom. III & IV. cap. VI. 14. Eph. II. 3. 4. 8. Tantùm cavendum erit, ne caritas sic opponatur justitiæ, ut, quemadmodum homines affectui inordinato dedisse dicuntur, quando id agunt, quòd secundùm justitiam agere non licebat: sic DEus contra justitiam egisse putetur, quòd à maledictione legis suæ exceperit credentes in Christum. Quam sententiam in Sanctissimum Numen injuriosam, procul à nobis esse oportet: qui novimus harmoniam illam misericordie ac justitiæ divinæ, atque in negotio justificationis & salutis nostræ declaratum temperamentum, (quòd & Grotius olim agnoverat, donec à

D

Crel-



Crellio in partes Socinianas pertraheretur ;) ita ut liberatio nostra à maledictione legis, licet non sit actus justitiæ formaliter, salvâ tamen justitiâ divinâ fieret : prout à Nostratibus aliàs & sufficienter docetur.

§. XLII. Sic autem fortasse etiam patet, non esse de nihilo, quod §. XXXIX, post ea, quæ nunc explicavimus, *tertiò ac postremò locò* addidimus, spectari in *ἐπιεικεία* Evangelica actum, *non legislatori proprium, aut Judici, qui legi & justitiæ precisè considerata in heret, sed Regi ac Judici, quoad alias perfectiones spectato, aut Mediatori proprium.* Hoc enim denique asserendum putamus, dum *ἀναλογίαν* fidei sectamur, & heterodoxiam omnem ejusque suspicionem cavere aut declinare volumus.

§. XLIII. Nimirum DEUS trinunus, & sic etiam Christus, DEI filius, Rex hominum & Imperator summus, uti *justus est in se*, quatenus Sanctus ; ita *creaturis* rationalibus, naturæ suæ convenientes, sive justas leges tulit, easque conservat & inculcat, atque in his nihil mutat, nec mutare potest, quas, tanquam justus & sanctus, in natura ipsa objectorum hominumque fundatas, semel dedit. Idem verò novit, vi scientiæ suæ infinitæ, corruptionem humani generis miserrimam, ex lapsu Protoplastorum ortam, & sic homines, si juxta leges & justitiam suam judicandi essent, omnino perituros ; attamen vi *bonitatis* aut gratiæ infinitæ, non vult perire quenquam ; sed viam ac media salutis peccatoribus invenit, parat, offert, applicat : his utentibus peccata remittit, salutemque actu donat. Itaque non abrogat legem, non derogat legi per leges morales leniores aut adstrictas, neque etiam officio judicis se abdicat : verùm in judicio gratiæ singulari dat locum. Nam nec nudâ aut simplici condonatione peccatorum, homines à maledictione legis liberat, sed inventò per sapientiam suam summam modò, quo legis rigori per obedientiam Mediatoris vicariam susceptasq; pœnas fieret satis ; jam salvâ lege & justitiâ suâ jure aggratiandi, quod in humanis vocant, utitur, ita ut lex, quod postulat, obtineat, quamvis non ab homine peccatore, & per id quod illi proprium est, sed per Mediatorem ; & homo peccator maledictione non prematur, quamvis eam meruerit ; care-

at

at autem eâ, propter obedientiam & meritum Mediatoris sibi imputatum. Et sic porrò opera imperfecta renatorum & justificatorum, propter eandem mediatoris obedientiam perfectam gratiosè à DEO acceptantur.

§. XLIV. Luculenta valdè in hanc rem sunt verba Pauli Rom. VIII. 3. τὸ ἀδύνατον τῶ νόμου, ἐν ᾧ ἠθέλει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέχευε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί, ἵνα τὸ δικαίωμα τῶ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, τοῖς μὴ κατὰ σὰρκα περιπατήσωμεν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα. Quæ ex versione Er Schmidii ita sonant: *Propter impotentiam Legis, quum viribus - esset imminuta per carnem, DEUS suò ipsius Filio missò, in similitudine carnis peccato obnoxia, idque pro peccato abolendo, condemnavit peccatum in carne: Ut jus illud Legis compleatur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.* Ita enim clarissimè apparet, *partim* quidem, quòd DEUS legislator & custos & vindex, legem ipsam non passus sit mutari, neque vim ejus relaxaverit, cum potius δικαίωμα τῶ νόμου, *jus Legis impleri* voluerit, nec admisit alium modum, quò homines justificarentur, quàm talem, qui ad implendum illud jus legis esset accommodatus; & quidem ita, ut non solùm omissam à parte hominum *carnè* corruptorum obedientiam reverà præstare oporteret; sed etiam *condemnatio peccati* in actum deduceretur: *partim* verò etiam, quòd DEUS nihilominus per sapientiam ac bonitatem suam præstiterit, ut quod hætenus per *legem* ipsam, intercedente hominum corruptione *carnali*, *impossibile* erat, *misso Filio suo in similitudine carnis peccato obnoxia*, fieret.

§. XLV. Et sic tandem etiam apparet, (1) quomodo juxta id, quod vulgò dicitur, *in praxi* nostra Christiana ac Theologica *Legem & Evangelium*, quæ in se distinctissima sunt, *conjungi*, aut *conjunctissima* esse debere; fundamentum ejus asserti in ipsa, si sic loqui licet, *praxi*; certè negotio divino de salute nostra, consistat, ubi *conjunctissima* sunt, quæ ad *Legem*, & quæ ad *Evangelium* pertinent: quomodo (2) *justitia*, quam Mediator Christus præstitit, *in se* spectata, sit omninò *legalis*; legi videlicet in rigore suo exactè conformis, &



ad exigentiam legis reverà præstita ; eadem verò , quatenus *ad nos* pertinet, tanquam *pro nobis* præstita, & sic à DEO acceptata, nobisque *imputata*, non legalis sit, sed *Evangelica* : prout in foro divino, & *Justitia & Gratia* conferunt, quod suum est, sine pugna, sine confusione, & ut neutra alteram tollat, concentu potius aut proportione, aut temperamento quodam suavi & admirando. Patet etiam, (3) quomodo renati & justificati homines, neququam mutata aut per novam legem imminuta, mollita vel restricta lege veteri: hæc potius obligati ad perfectam atque omnibus numeris absolutam obedientiam teneantur, & tamen imperfecta obedientia eorum, defectu videlicet per Mediatorem suppletò, DEO placeat juxta voluntatem suam in Evangelio declaratam. Hæc, inquam, est denique illa *ἐπιείκεια Evangelica*, cujus fundamentum non est nova lex, veteri rigidiori derogans ; non legis ipsius relaxatio, quoad vim obligandi ad obsequium aut ad poenam, sed gratia singularis, DEO digna, quæque nullo aliò exemplo in rebus humanis, quod planè sit par aut simile, satis declarari potest.

§. XLVI. Quod autem *ἐπιείκεια* hanc *Evangelicam* non tantum Christo ut Regi, unà cum Patre & Spiritu S. verum etiam eidem ut *Mediatori*, quoad officium *redemptionis* spectato, adscribendam esse diximus, breviter huc redit : quòd Christus ratione hujus peculiaris officii, non quidem ut Judex (hoc enim aliud ejus munus est) *ἐπιείκεια* usus sit in ferenda sententia super hominibus credentibus eorumque obedientia : sit tamen is, in quo *ἐπιείκεια* illa fundamentum & causam habet, & absque quo ne locum quidem in judicio fuisset habitura. Unde, quemadmodum in foro humano, qui per intercessionem aut sponsonem alterius à judice benigno gratiam impetrat, non tantum judici, sed & Intercessori aut Sponsori, hoc, quicquid est adscribit ; ita quod nos coram DEO justii pronunciamur, quodque præterea obedientia nostra imperfecta Deo non displicet, sed placeat, non tantum DEO ipsi, sed & Redemptori, quà tali, adscribendum, atque ita Regem & Mediatorem, quod cujusque erat, ad *ἐπιείκεια* illam contulisse, credendum sit.

§. XLVII,

§. XLVII. Hôc ergò sensu etiam intelligenda sunt verba D. Henr. Eckardi Disp. in I. Ep. Joh. XI. th. 31. p. 264. dicentis, *Christum non exigere à fidelibus suis Charitatem in summo illo perfectionis gradu, quò Moses, sed inchoatam etiam obedientiam clementer acceptare, & quod sordium atque imperfectionum illi adhaeret, suâ perfectione tegere.* Nam & horum verborum sensus, juxta ea, quæ is aliàs docuit, hic esse potiùs putandus est, quòd Christus *Mediator præstantioris fœderis*, dicente Scripturâ, *Ebr. VII. v. 22.* per Evangelium declaraverit, *charitatem fidelium*, quæ non ad summum illum perfectionis gradum assurgit, atque obedientiam illam, quæ tantùm inchoata est, non consummata, non ideò planè rejici, sed *clementer acceptari*: ac *sordium* quidem aliquid atque imperfectionis illi adhaerere, adeòque in illa obedientia à voluntate quandam ac disconvenientiam cum lege, adhuc valente, deprehendi; eam autem tegi, non abrogatione legis rigidioris, sed perfectione Christi, fidelibus imputatâ: *Christum enim esse perfectionem legis omnibus credentibus*: uti in verbis proximè præcedentibus auctor ipse locutus fuerat.

§. XLVIII. B. Kromayerus Theol. Pos. Pol. Artic. XIII; Antith. II. p. 719. & ipse quidem etiam appellationem præcepti novi *Joh. XIII. 34.* eò sensu accipi posse docet, *quatenus à rigore Mosaico sit liberatum, & sic non amplius Moses, sed Christi præceptum*: sed notandum est, eum ibidem contra Pontificios, Socinianos & Remonstrantes ex instituto disputare, quòd *Christus non sit novus legislator*; atque inter alia urgere illud, quòd *DEus additionem ad legem Mosaicam & detractionem prohibuerit.* Unde nequaquam putandum est, statuisse eum, quòd *Christus leges leniores in locum rigidiorum substituerit, aut vim legis veteris obligatoriam relaxaverit.* *Liberatio itaque illa à rigore Mosaico, non est legalis; sed merè Evangelica, pertinens ad id, quòd antea prolixè explicavimus.*

§. XLIX. Denique & M. Pfeilius eo loco, ad quem Stengerus provocaverat, expressè scribit, *Legem Christi esse sanè cum Lege Moses eandem quoad substantiam*: Lex autem, quæ perfectam obedientiam exigit, omnemque defectum prohibet; &



Lex, quæ tantum præterita peccata vetat; non sunt eadem. Lex quoad substantiam: ideòque nec dum apparet attemperatio legis rigidioris per substitutam legem mitiorem; sed attemperatio Legis, quæ ad Evangelium pertinet, & in vicaria Christi Mediatoris obedientia, denique gratia, fundatur.

§. L. B. *Wilhelmus Nigrinus* Tr. de Impletione Legis cap. III. Resp. ad Obj. III. §. 3. p. 94. *Obedientiam legis* distinguit in *Mosaicam & Evangelicam seu Christianam*. Modestix quidem studio hanc addit formulam: *Liceat hisce terminis uti, quum accuratioribus destituamur*. Sed profectò satiùs est obedientiam sic distinguere; & eam, quæ juxta Evangelium, adeòque ex gratia Dei propter Christum, habetur pro obedientia, etsi absolutè loquendo non sit, quia imperfecta est; dicere *obedientiam Evangelicam*; quàm ut dicamus *Legem ipsam Evangelicam*. Sic enim & *Mosaica* obedientia non ineptè dicitur ea, quam Moses Legis Doctor sibi relictus, & à mediatore Christo atque ab Evangelio præscindens, solam autem convenientiam cum lege sua rigorosa spectans, describit. Nobis autem jam non licet his diutiùs immorari: qui etiam hætenùs allata, de Lege per ἐπιείκεια Evangelicam temperata non ideò exposuimus, quòd controversiam illam de legibus Christi lenioribus, quam Stengerus sine populi suffragio moverat, redintegrare; aut cum ingeniis inquietis & obstinatis disputationem, inire velimus: sed quòd etiam hoc nostro tempore ad discernendam sanam doctrinam ab erroribus, cavendamque occasionem ab heterodoxis facilè amplectendam, non nihil referre existimaverimus, de ἐπιείκεια illa paulò uberius dispiciendi.

§. LI. Jam autem, missâ isthac quæstione, ad *postremam* propositæ doctrinæ partem accedimus, de *illustratione Legis Evangelicæ* acturi. Quòd Evangelium non solum aliis nominibus cum Lege jungendum sit; verum etiam, quia ad præcepta legis illustranda facit; constans est Nostratum sententia. Sic enim inter alia, ad objectionem Antinomorum, qui, ut Legem ex Ecclesia eliminarent, Evangelium ipsum & solum, fidem in Christum præcipere, incredulitatem oppositam arguere & damnare, perhibuerunt; quippe quod Lex, ut Christum, sic fidem hujusque
op-

oppositum ignoret; &c. responderunt; (quod verbis B. P. *Piscatoris* hinc recensimus Comment. in F. C. disp. VI. §. LII. p. 232.) *Quanquam Lex per se ignorare videtur Christum, tamen aliunde ex Evangelio hoc ei revelatur, quis videlicet ipsi constitutus sit Satisfactor, quis Redemptor, quis Salvator omnium credentium & apprehendentium filium illum Mediatorem: quos à maledictione suâ, quâ derinebantur, interventu fidei liberos dimittat & immunes. Sic ex facta revelatione Filii & Evangelica consolationis, Lex etiam illi accinit suum genus, (id est, ut §. seq. exponitur, καὶ θολικὸν suum aut universale respectu præceptorum & comminationum,) suffragium suum addit hoc pacto:*

Omni verbo DEi est credendum.

Atqui promissio ista Evangelica: Qui credit in Filium, salvus erit, gratis, sine operibus &c. est verbum DEi.

E. huic crede.

Et sic doinceps. Hæc ille. Nimirum ita etiam ex opposito nascitur argumentum: Quicquid est verbum DEi, ei non credere peccatum est. Atqui Jesum Christum esse redemptorem hominum, est verbum DEi. E. hoc non credere, peccatum est. Sic, inquam, Lex & fidem in Christum præcipit, & incredulitatem, etiam hanc specialem, quâ non creditur in Christum, arguit ac damnat; sed, accedente luce Evangelii, quâ collustratur, Absque Evangelii collatione enim, licet Lex generaliter & indeterminatè talia præcipiat aut damnet, determinatè tamen de his non concludit, sed tunc demùm, quando in discursu accedit propositio altera Evangelica. Quia verò conclusio est formaliter præceptiva vel prohibitiva (quò spectant conclusiones, quæ accusant, quæ minantur aut terrent, quæ damnant &c.) ideò legalis est, non Evangelica: licet ex Lege non sola, sed Evangelii luce collustrata, demùm inferatur aut fluat.

§. LII. Jucundum est in hanc rem observare exempla, quæ B. *Piscator* l. c. §. LI. p. 231. & 232. in gratiam *Studiosæ juventutis* ex Scripturis collegit, ostensurus, quomodo in una sepe eademque sententia Scriptura simul & Lex contineatur & E-
vange-



vangelium. Ex quibus duo tantum clarissima hic recensimus.

Legalia sunt, ait,

Acto. 2. 38.

Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi.

Evangelica sunt

In remissionem peccatorum.

Contra

Evangelica sunt

Matth. XVII. 5.

Hic est Filius meus dilectus.

Legalia verò

Hunc audite.

Ubi simul apparet, quomodo, quæ legalia dicuntur, sint Legis per Evangelium collustratæ. Sic nempe in *priore* exemplo, non solum *pœnitentia* vox ὀλικῶς accipitur, atque ita præter contritionem, etiam fidem in Christum includit, quam lex ignorat, Evangelium monstrat; ut paulò ante monuimus. Sed & *baptismus*, tanquam medium gratiæ institutus, ad Evangelium pertinet, ac discursus plenior fortè hic erit: Quicunque ritus hominum salvandorum bono institutus est divinitus, ille suscipiendus est. Atqui Baptismus, qui fit in nomine DEI P.F. & Sp. S. est ritus, hominum salvandorum bono divinitus institutus. E. Baptismus, qui fit in nomine DEI P. F. & Sp. S. suscipiendus est. Major propositio Legis est, Minor Evangelii. In *posteriore* exemplo Legale utique est, quòd homines jubentur *Christum audire*; sed & hinc formato pleniore discursu: Qui, tanquam filius DEI dilectus, à DEO sistitur, audiendus est. Atqui hic JESUS, tanquam filius DEI dilectus, sistitur à DEO. E. hic JESUS audiendus est: Major legalis est (quicquid de eo sit, quod ea fortassis aliò peculiari discursu nitatur, in quo Lex & Evangelium concurrunt: quod suo loco relinquimus:) Minor autem haud dubiè Evangelica est, quâ dicitur, Hunc JESUM, hominem tunc visibiliter apparentem, esse filium DEI: pertinet enim ad Mysterium Inarnationis. Unde obiter monemus,

mus, quod Theologos Wittebergenses supra §. vidimus agnosce-
re præcepta Evangelica nova à Christo lata, sed ad doctrinam
de sacramentis spectantia; quoad rem denique redire ad legem
Evangelii luce collustratam.

§. LIII. Atque hæc quidem & alia similia observasse,
non tantum facit ad rectè intelligendum concursum Legis & E-
vangelii, quò Legi ipsi ab Evangelio lux accedat, & ad præce-
pta specialia determinatè inferenda, ab utraque, quod suum est,
conferatur; verum etiam ad cognoscendum, quomodo nihilo-
minus Lex & Evangelium in naturâ sua valde distincta aut di-
versa maneant: quorum utrumque nosse, non parvi usus est in
scholis Theologiæ Christianæ.

§. LIV. Quod si igitur postremò quærat de termino
Legis Evangelicæ: An aliquò, & quò sensu adhiberi possit? fa-
cilis est ex dictis responsio. Nam *primo* quidem sensu, quò Lex
Evangelica est lex *nova* ac propriè dicta, Legi veteri velut mi-
nùs perfectæ addita, planè erroneum fuerit, dicere Legem Ev-
angelicam moralem. *Altero* sensu, quò idem est ac Lex quo-
ad rigorem suum per Evangelium temperata, non tantum sen-
tentia ipsa ab ambiguitate verborum liberanda est, verum ideò
etiam à termino abstinendum: tantò magis, ne Legem mitio-
rem in locum legis rigidioris abrogatæ substituere videamur.
Tertiò sensu, quo Lex Evangelica idem erit, ac Lex Evangelii
luce illustrata; equidem res significata, quando ipsa in se con-
sideratur, nihil habebit periculosi erroris, sed, an vox illa
hunc sensum ex usu loquendi *aut* postulet *aut* admittat? quæstio
fuerit: quorum *prims* nemo, opinor, probaverit; cum potiùs
usus loquendi Romanæ Ecclesiæ non hanc, sed aliam, & primo
loco hîc à nobis consideratam significationem termini, in Scri-
ptura non extantis, neque à *αὐτῶν* Theologicam aliàs olim ex-
pertis, introduxerit & retineat: *posterior* vel ex eadem ratione
difficile probatu reddetur. Sic enim non solùm semel in hæ-
terodoxum sensum, ac diu, accepta vox, neque auctoritate
publicâ, aut rationibus firmis occurrentibus, aliò flexa aut fle-
ctenda, declinari potiùs, quàm usurpari, debet: verum
E
etiam

etiam, si maximè credatur, terminum hunc Pontificiis; tanquam injustis usurpatoribus, eripi, & in sensum orthodoxum converti posse; semper tamen manebit dubium: an hæc nova significatio aliis possit persuaderi? an secus? Itaque nos quidem *Legem Evangelicam nullam nominamus*. *Leges novas morales legi Mosaicæ morali accessisse negamus*. *Legem hanc Moralem veterem ac rigidam, per Christum Mediatorem, Deique gratiam fuisse suò modo temperatam* (scilicet ne his, qui implere ipsam non possunt, inevitabiliter noceat) *non negamus*: *non autem vim ejus obligantem, sublatam aut relaxatam esse dicimus*: denique *Legem Evangelio illustratam & novimus & probè considerare jubemus*.

SOLI DEO GLORIA.



MS(O)56

Pereximio & praeclarè docto

DN. JOH. JACOBO MULLERO,

Χαίρειν καὶ εὐπερίτειον.

B*Ene facis, Amice mi carissime, quod post plurimum annorum conversationem, quâ non solum te, auditorem frequentem, sed & progressus tuos, vidi laudabiles, quâque mores placidos & pietatem spirantes prodidisti; jam occasionem præbes publicè testandi, quid de Te judicem ac sperem. Specimen hoc, quò doctrinam Tuam è cathedra simul probas, uti gratulandi materiam mihi dat, sic prioribus illis, quæ commemoravi, accedens, boni ominis vim habet, fore, ut labores tui Ecclesie pariter reique literariae multum afferant emolumentum. Ac DEUS, qui Te hæctenus duxit, haud dubiè corda eorum, qui & juvare & promovere studia tua possunt, Tibi porrò conciliabit, quorum ope cum Academicum absolvas cursum, tum ejusmodi potiaris munere, quò se dona Dei & Sanctum propositum tuum explicet. Ipse promisit diligentibus se gratiam.: Ipse faciet.*

Ita vale in Domino. Scrib. d. VII. Jan. A. C.

CIO ICCCII.

P. R. Æ. S. S.





DR. JOH. JACOB MILLER.

P. R. E. S. S.









27

B. C. D.

DE

E EVAN- ELICA,

TIONEM THEOLOGICAM

PRÆSIDE

OMINO

NE GVILIELMO
BAJERO

Theol. D. & P. P.

rono, Præceptore & studio-

um Promotore aternum colendo

lice ventilandam proponit

DBUS Müller/ Ulmenfis.

nuarii A. c. 15. 15c XCII. Jan. 1692

J E N Æ,

is GOLLNERIANIS.

